



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 19. Mens hujus Cardinalis Regem ad bellum sollicitantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI. „re, & eorum misericordiam imple-
 A C 1556. „rare cogantur.

§. XIX.

*Mens hujus Cardinalis Regem ad
 bellum sollicitantis.*

Thuan. l. c. **H**is rationibus, cum Caraffa Cardina-
 lis Regis animum sensim expugna-
 ri cerneret, de re adhuc magis specia-
 tim agere cæpit, Regi hæc exponens:
 „Summus Pontifex ad Neapolis Re-
 „gnum omnino expeditum aditum tibi
 „parabit, nam hoc in bello te selecto
 „milite, commeatu copioso, commodif-
 „simo in Provinciam aditu, ac denique
 „magna portuum ad exponendum ex-
 „ternum militem commoditate adjutu-
 „rus est: non quod de ea expeditione
 „tot difficultatibus impedita bene spe-
 „raret Pontifex, uti Guisianis persuase-
 „rat, sed quod commissis rursus inter
 „se Gallis & Hispanis, eum belli fune-
 „sti eventum fore confideret, ut ambo
 „tandem bello fessi civitatibus, & oppi-
 „dis, quæ in Etruria tenebant, cede-
 „rent, & ea in Pontificis, ac suorum
 „manus devenire paterentur: nam de
 „Senarum civitate Cæsarem non ita
 „obstinate pugnaturum apparebat, si mo-
 „do e reliqua Etruria Galli abscederent;
 „credendum quoque est, quod Galli, si
 „bellum hoc nonnisi impensis bene sum-
 „ptibus

„ptibus in Etruria continuari posse ani-
 „madverterent, pacificationis rationem
 „libenter amplexuri essent, qua Senen-
 „sibus restituta specietenus libertate ab
 „ingratis armis, quæ pro ipsorum re-
 „publica cepissent, honestius discedere
 „possent., Hæc exposuit Cardinalis.
 Addunt Scriptorum nonnulli, factam
 præterea Regi a Cardinale spem de
 Bononia, Ancona, Paliano, Centum-
 cellis, atque ipsa Romana arce, quæ
 S. Angeli vulgo appellatur, pignoris
 loco ei tradendis.

§. XX.

*Propositiones a Cardinale Regi pa-
lam factæ.*

Hæc quidem Cardinalis Regi in pri-
 vato, quod habebat, colloquio pro-
 ponebat, postquam vero ad publicum
 ejusdem alloquium admissus fuerat,
 haud ultra de bello, vel induciis men-
 tionem ingerebat, sed potius Regi pro-
 ponebat, quod, si tumultus sedandi cura
 Pontifici relinqueretur, hic pacis con-
 ciliatorem etiam cum Regis detrimento,
 si id æquitas postularet, agere paratus
 esset. Hæc adeo libere spondebat, quia
 pro comperto habebat, quod Henrico II.
 persuasissimum esset, quod Cæsar Pa-
 pam, quem veluti atrocissimum suum
 hostem respiciebat, tanquam pacis ar-
 bitrum

Sæcul. XVI.

A.C. 1556.

Pallav. l. 13.

c. 19. n. 4.

Ex lit. Ca-

rassæ ad

Pallianum

Ducem ex

Fonte-bella:

20. Junii.